

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Religio o
cum fonte primo

Sepe de uita proximorum querimus, mutare locum conamur, secretum uite remotioris eligere, uidelicet ignorantes quia si desit spiritus, non adiuuat locus. Iste enim Loth de quo loquimur in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit. Quod autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens qui in paradiſo cecidit. Sed minus sunt omnia que loquimur ex terra. Nam si locus saluare potuisset, Sathan de celo non caderet.

Gregorius super Ezechielem omelia IX.

Saepe uero cum de uita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum uitae remotioris eligere, uidelicet ignorantes quia si desit spiritus, non adiuuat locus. Idem enim Lot de quo loquimur, in Sodomis sanctus exstitit, in monte peccauit. Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui et in paradiſo cecidit. Sed minus sunt omnia quae loquimur ex terra. Nam si locus saluare potuisset, Satan de caelo non caderet.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*, 9, 6, 22 (CCSL 142, M. Adriaen ed., p.136, ll.473-481).